

Franz Wolf Johannes Godfridus Kopstadius

Dissertatio Logica De Natura Praedicationis In Genere

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730584062>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1672
Franciscus Wolf
Joh. Gottfried Koppen

J. N. S. S. T.
DISSERTATIO LOGICA

De

NATURA
PRÆDICATIONIS
IN GENERE,

Quam

Auspicio Dei. T. O. M.

In celeberrimâ quæ ad Varnum est Academiâ

PRÆSIDE

M. FRANCISCO
WOLFIO,

Log. P. P. & Facult. Philosoph.

p. t. DECANO.

RESPONDENS

JOHANNES GODFRIDUS KOP-
STADIUS, Züsaro-Westphalus.

Publico Eruditorum examini subjiciet

In Auditorio Majori ad diem XVII. Septembr.

ANNO M. DC. LXXII.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



DISSENTATIO LOGICA

NATURAE
PREDICATIONIS
IN GENERE

Summa

Auctore Doct. T. O. M.

Interpretatione et V. Anonymi

PR. 3112

M. FR. AN. G. S. C. E. O.
W. O. L. F. I. O.

Log. P. & Facult. Philologica

p. c. B. A. N. O.

RESPONDENS

JOHANNES GODSCHWIGER KOP.

in studio

in

in

NOVO M. D. C. LXXXV

ROSTOCK

The JOHANNIS KOP. ...



I. N. J.

De

PRÆDICATIONE.

§. 1.



Ἀντιρροπὴν Græcis est accusare, reprehendere, item prædicare. Est autem prædicare Latinis nil aliud, quam præ aliis, & palàm dicere, sive commemorare. Hinc prædicare dicitur præco, dùm aliquid palàm promulgat & pronuntiat ex Senatus Consulto. Latius igitur patet prædicare, quam laudare, cum etiam sine laude aliquis prædicare possit. Unde Auson. Pop. l. 3 de diff. verb. *Laudare*;

inquit, plus est quam probare & PRÆDICARE. Nam laudamus id quod excellit, probamus bonum factum, PRÆDICAMUS id quod profitemur & testatum facimus. Primum semper est cum laude, alia duo etiam sine laude esse possunt. Sæpe tamen numero prædicare usurpatur pro celebrare & laudare. Logicis verò prædicare non uno modo sumitur. Interdum enim tam latè extenditur, ut idem sit, quod enunciare unum de aliquo. Quo sensu prædicare nihil aliud est, quam unum de altero affirmare vel negare. Et prædicatio idem est quod Enunciatio, hoc est, unius de altero affirmatio vel negatio. Unde etiam non tantum propositiones affirmativæ, sed & negativæ dicuntur constare subiecto & prædicato. Deinde stricte & sumè usurpatur de illis, quæ κατ' ἐξοχὴν

A 2

præ-

prædicari possunt, scilicet de universalibus, quæ & absolutè solent vocari prædicabilia. Quomodo prædicare nihil aliud est, quam prædicatum aliquod universale subjecto attribuere. Et sic non prædicat, qui subjecto aliquod prædicatum singulare attribuit. Tertio tandem, sensu quodam medio, prædicare idem est, quod affirmare, si ve attribuere alicui subjecto aliquod prædicatum, si ve illud universale si ve singulare fuerit. Sic etiam prædicat qui dicit: Pater in divinis est Deus, utur prædicatum hujus propositionis non sit universale, sed singulare.

S. 2. Missis à præsentis instituto duabus significationibus prioribus, nimis latè scilicet & angustà, de prædicatione in tertio significato nonnulla dicemus. A verbo prædicare descendit verbale ejus, Prædicatio, quæ vox significat actum secundum potentia prædicabilis, si ve potentia, quæ prædicare potest. Sicut autem aliàs terminus solet distingui in mentalem, scriptum & vocalem, si ve oralem, ita etiam prædicatio alia est mentalis, alia scripta, alia oralis. Mentalis est quæ intellectu si ve mente peragitur, & est nihil aliud, quam actus intellectus, quo aliquid de aliquo judicat, si ve potius est actus intellectus qui judicat subjectum & prædicatum, propositionis esse eadem; consistitque adeo in cognitione identitatis inter subjectum & prædicatum. Quam apprehensionem intellectus, peculiari vocabulo solent vocare compositionem. Quamvis verò intellectus possit componere subjectum & prædicatum, quin simul judicet, ita esse, ut per compositionem significatur, nullum tamen est dubium, quin potiori jure componere dicatur, si statim compositionem iudicium comixetur. Sic v. g. Gentilis potest intellectu concipere hanc propositionem: Deus est unus in essentia & trinus in personis, absque iudicio, rem ita à parte rei se habere. Sed tunc potiori jure illud de Deo prædicare quis dicitur, si simul judicet, objectum, si ve conceptum objectivum formali correspondere. Scripta prædicatio est prædicationis mentalis scriptio. Oralis denique est prædicationis mentalis ore facta prolatio. Missis etiam prædicationibus mentalibus & scriptis, de orali in sequentibus præcipuè agemus; hæc enim vi vocis sibi maxime nomen prædicationis vendicat. Prædicare enim, ut ex modo dictis constat, Latinis est apertè seu publicè dicere, apertius autem & magis publicè dicitur quod ore profertur, quam quod mente

mente cogitatur & cognoscitur, vel quod scripto consignatur, cum hoc tantum illi, qui descriptionis gnari sunt; prædicationem verò vocalem etiam alii intelligere possint. Est igitur prædicationis hoc sensu unius de altero affirmatio. Affirmare autem unum de altero dicimur, cum dicimus unum est alterum, sive hoc est hoc.

§ 3. Absolvitur prædicationis sive affirmatio tribus actibus, quorum singuli peculiare habent objectum, scilicet pronuntiatione subjecti, copulæ, & prædicati. Quæ tria solent partes prædicationis vocari, quæ etiam cum propositione negativa communia habet. Et quidem inter has partes subjectum & prædicatum peculiari nomine solent vocari termini prædicationis, item prædicationis extrema.

§ 4. Terminus, prout prædicationis, & negativæ propositionis communis est juxta Arist. l. 1. prior. c. 1. à posteriori describitur, *ἓς ὃν ἀλλύεται ἢ πρὸς τῶν αἰσίων, ἐστὶ ἴδ' ἐν ᾧ διαλύεται πρόpositio, quale est id quod de alio dicitur, idque de quo illud dicitur, sive adjiciatur sive tollatur illud esse vel non esse.* A priori dici posset Terminus est extremum ex quo componitur propositio immediate. Terminus vox alias propriè tribuitur quantitativis, quomodo v. g. punctum est terminus lineæ, superficiæ lineæ, diciturque à terminando, eo quod quantitatem alicujus terminet. Hinc vox termini translata est ex Scholis Geometrarum, teste Piccarto disp. de defn. §. 7. ad Logicam, ubi etiam definitio vocatur ὅρος, Geometræ enim regionem aliquam certis limitibus circumscribentes illam περιεχόμενον ὅρον appellarunt, quod Philosophi imitantes, speciei cujuscunque descriptioni idem nomen dederunt. Ipsa etiam extrema cujuscunque propositionis vocantur termini. Unde Alex. Aphrod. in 1. prior. c. 1. ait. *partes propositionis dicuntur termini, quia his propositio terminatur ac finitur.* Finitur quidem ea etiam literis & syllabis, verùm non immediate sed mediatè, immediatè tantum finitur in subjectum & prædicatum. Prædicationis verò Extrema vocantur, quia intra hæc tota clauditur, ut nihil ejus extra ea sit. In specie autem terminus prædicationis est extremum, in quod immediatè propositio affirmativa resolvitur. Et sicut alias terminus absolute non est terminus, nisi actu terminet, ita etiam termini prædicationis absolute non sunt prædicationis

termini, nisi actu in prædicatione stent, alias cum addito potius vocandi sunt termini prædicationis in potentia.

§. 5. Nonnullis solent hi termini vocitari partes materiales alicujus prædicationis. Copula contra, pars formalis, sive forma prædicationis. Neque enim omne id quod ad constituendam aliquam prædicationem concurrat, ejus terminus dicitur, sed illud demum, in quod prædicationis tanquam in materiam resolvitur. Et sicut se res habet in dissolutione v. g. ædificii, ubi partes materiales vocantur illæ, inter quæ unio intercesserat, ipsa verò unio non est pars materialis, ex qua ædificium componebatur, sed potius forma & vinculum illud, per quod partes illæ materiales coherentes ædificium constituebant: ita etiam subjectum & prædicatum se solis & absque ligaturâ, non constituunt prædicationes, sed tum demum, ubi per copulam tanquam vinculum quoddam & formam coherent. Unde sicut posita formâ materiæ unitâ, ponitur totum, ita etiam posita copulâ terminis unitâ, ponitur prædicationis.

§. 6. Alii tamen nolunt copulam vocitare formam prædicationis, sed potius contendunt, illam tantum esse instrumentum, quo partes Enunciationis uniantur & coherent; esse tamen nihilominus partem prædicationis & quidem materialem, quia in illam etiam prædicationis resolvi potest. Neque enim repugnat, idem simul esse vinculum & partem, cum v. g. filum in veste, simul sit vinculum, quo reliquæ partes coherent, & tamen aliqua vestis pars. Præterea non statim ideo, quia propositio in eam resolvitur, etiam est terminus, cum illud demum terminus sit, in quod tanquam in extremum prædicationis resolvitur. Hinc dicunt, in in omni prædicatione tres esse partes materiales, subjectum, copulam & prædicatum; formam autem prædicationis esse ipsam significationem prædicationis. Habent se quippe voces prædicationis, inter quas est copula, ad ipsam prædicationem, non secus ac literæ se habent ad voces. Jam verò omnes literæ se habent ad vocem suam, quam constituunt, ut partes materiales. E. & voces in prædicatione, inter quas etiam copula, se ad ipsam prædicationem habebunt ut partes materiales.

§. 7. Ultraque sententia nobis, salvis aliorum judiciis, bene videtur se habere. Potest enim prædicationis aliqua dupliciter spectari

Stari 1. quatenus est oratio quædam 2. quatenus est compositum, quoddam. Priori considerandi modo, sicuti significatio semper habet rationem formæ, voces verò rationem materiæ in oratione, ita copula quia vox est, habet rationem partis materialis, non verò formalis. Posteriori verò modo copula est pars formalis, sicuti enim unio physica est forma compositi physici, quatenus illud est compositum, ita etiam copula est forma prædicationis, non quatenus est prædicatio, sed quatenus est quoddam compositum. Hominis quidem forma quatenus homo est, non est unio inter animam & corpus, sed ipsa anima hominis constitutiva; forma tamen ejus quatenus compositum est, est unio inter animam & corpus. Absolutè igitur loquendo forma prædicationis non est copula, est tamen forma prædicationis quatenus ipsa est quoddam compositum.

§. 8. Terminorum prædicationis alter vocatur subjectum alter verò prædicatum. Utrumque rursus est vel formale vel objectivum. Subjectum dicitur à subjiendo, quia alteri supervenienti subiacet; unde materia prima solet vocari subjectum, quia formis ipsi supervenientibus subjacet. Et hinc per analogiam in prædicatione subjectum dicitur illa vox, quæ alii, supervenienti ipsi, quasi subjacet, illamque sibi quasi imponi patitur. Atque hinc subjectum describitur, quod sit terminus prædicationis de quo alter affirmatur. Prædicatum autem dicitur, quod supervenit subjecto, eique suam denominationem largitur. Unde describitur, quod sit terminus prædicationis, qui de altero affirmatur. Et cum in utroque, subjecto æque atque prædicato duo occurrant 1. ipsa vox qua effertur 2. significatio illius vocis, sive res significata per illam vocem, fit, ut vox illa, quæ effertur subjectum, dicatur subjectum formale, res verò significata per vocem subjecti, dicatur, subjectum objectivum. Similiter vox illa, quæ effertur prædicatum, dicatur prædicatum formale; res verò per eam vocem significata, vocetur prædicatum objectivum. Hinc subjectum formale est vox significans rem illam de qua prædicatum affirmatur. Subjectum objectivum est res illa de qua prædicatum affirmatur. Prædicatum formale est vox illa quæ significat rem illam quæ de subjecto affirmatur. Prædicatum objectivum verò est res illa quæ sub voce prædicati de subjecto affirmatur. Vocatur
objecti

objectivum cum subjectum tum prædicatum, quia est significatum subjecti vel prædicati, omne autem signatum est sui signi objectum. Cujus distinctionis usus perspicitur in illa controversia, qua quæri solet; an in prædicatione res ipsæ de se verè prædicentur, sive an in prædicationibus res ipsæ sint termini, an verò prædicationum termini sint voces. Si enim loquaris de terminis prædicationis objectivis, dicendum, non voces sed res ipsas esse terminos; Sin de formali, dicendum, non res, sed solas voces esse terminos; absolutè autem & voces & res sunt termini, voces quidem termini formales, res verò termini objectivi. Alii subjectum objectivum vocant *subjectum ut quod*, subjectum verò formale, *subjectum ut quo*, ut denotetur, subjectum objectivum demum esse id quod reverà subjicitur; subjectum verò formale esse illud signum, quo mediante & cujus beneficio res ipsa in prædicatione subjiciatur. Similiter prædicatum objectivum vocant *prædicatum ut quod*; prædicatum verò formale dicunt *prædicatum ut quo* propter eandem, quam modo dedimus, rationem. Ex dictis non malè diceretur, subjectum esse terminum significantem illam rem de qua res significata per prædicatum affirmatur: prædicatum verò esse terminum prædicationis significantem illam rem quæ de re significata per subjectum affirmatur.

§. 9. Subjecti synonymum nonnulli faciunt Nomen, prædicati verò verbum, quibus tamen subscribere ipsa veritatis claritas prohibet. Sæpe numero enim in subjecto etiam aliquod verbum continetur, v. g. Omnis qui scribit est animal, quamvis ibi illud verbum facili negotio in nomen sit resolvable e. g. Omnis scribens est animal; sapissimè etiam prædicati loco aliquod nomen stat, v. g. homo est animal, ubi sanè prædicatum & verbum non possunt coincidere. Quamvis verò prædicatum æque atque subjectum possit aliquod nomen esse, non tamen semper unicâ voce absolvuntur, sed sæpè pluribus constant. Quo in casu non est putandum, unam vocem, quæ in recto effertur, tantum habere rationem subjecti & prædicati, reliquas verò, quæ adduntur, esse descriptiones tantum subjecti vel prædicati. Nam & illa una vox, quæ in recto stat, & reliquæ, quæ ei adduntur, si simul sumantur, integrum enunciationis talis prædicatum vel subjectum constituent, quia non de sola voce, sed de illa simul cum reliquis sumta præ-

prædicatum affirmatur, nec sola illa vox, sed ea cum additis iudicium sumta de subjecto affirmatur. Possunt quidem reliquæ illæ voces in se spectari præcisa illa, quæ in recto stat, & sic non tam sunt Categoremata, quia de se non possunt extremi locum in aliqua propositione tutari, quàm Syncategoremata, quatenus tamen cum illa voce simul sumuntur, sunt pars subjecti vel prædicati prout illi vel huic apponuntur.

§. 10. Interdum etiam contingit, ut prædicatum in serie orationis non sit collocatum loco posteriori, & subjectum priori, sed sedes suas ad libitum dicentis pervertunt. Quod ni diligenter observetur variis difficultatibus quis potest premi, v. g. formetur quis talem Syllogismum: Omnis ille est homo, qui est caput Ecclesiæ. Pontifex Romanus est homo. Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ. Huic non respondebis, ni ostendas, in majori subjectum & prædicatum permutari, & prædicatum poni loco subjecti, & contra, subjectum loco prædicati. Et sic Syllogismum, qui videtur esse in prima figura, revera esse in secunda figura, adeoque in forma laborare, cum ex puris affirmativis concludat, nec tamen termini sint reciprocabiles. Operæ igitur pretium fuerit, accuratè dispicere, quodnam in aliqua propositione loco subjecti, quodnam loco prædicati poni commodè possit & debeat, præsertim cum ex situ eorum, uti constat, iudicium de ipsis semper ferri nequeat. Videndum adeò, ut propositiones, quantum fieri potest, formentur secundum ordinem ab ipsa natura servari solitum, ut illa, quæ natura subjecta voluit, subjiciantur, non prædicentur, & contra, quæ prædicari apta fecit, potius prædicentur, quam subjiciantur, nec vel contra naturæ ordinem vel præter ejus leges facile & sine urgente necessitate propositiones concinnentur.

§. 11. Quod ut eo melius intelligatur, advertendum, naturam quædam entia perpetuæ subjectioni quasi mancipasse quædam verò ita produxisse, ut alià sibi subjecta habeant, quibus insint, & in quorum subsistentiâ existentia eorum sustentetur. Sic v. g. materia prima omnibus omninò formis est subjecta; formæ verò suâ naturâ aptæ natæ sunt ut perficiant & denominent materiam, non verò, ut materiæ substernantur. Per analogiam quandam possunt hæc applicari ad doctrinam de prædicationibus. In illis enim quæ prædicationis extrema esse possunt, alia ab ipsa natura videntur

B

tur

tur ad id ordinata, ut subjiciantur prædicatis, & ab ipsis denomi-
 nentur; alia verò ut subjectis logicè insint, eaque denominent. Sicut
 autem male quis formas physicas materiæ velit subjicere & mate-
 riam formis superaddere, ita etiam malè ageret, qui illa, quæ na-
 tura subjecta esse voluit, extollere & prædicare, illa verò quæ ex-
 tulit, & prædicari apta fecit, deprimere & subjicere aggrediretur.
 Inter omnia autem Natura individua quæcunque universalibus
 suis subjecit, ut essent fundamentum & basis suorum universalium,
 individua igitur de universalibus velle prædicare, & universalia
 individuis subjicere, est contra naturæ ordinem agere, eumque
 invertère. Similiter cum quædam nomina formalitè significant
 formam respectu alterius cujusdam nominis, quod se per modum
 materiæ habet (v. g. vox adjectiva, suâ naturâ significat formam
 aliquam substantivo adjacentem, inde enim suum omnino ad-
 jectivum habet nomen) respectu scilicet substantivi, quod & inde,
 quia adjectivi formæ substare aptum est, suum nomen habet, rursus
 perperam adjectivum subjeceris substantivo, & substantivum affir-
 maveris de adjectivo. Ex dictis igitur colligitur 1. *quoties ex no-
 mine substantivo & adjectivo debet fieri propositio, totiens secun-
 dum naturam substantivum debet stare loco subjecti, adjectivum
 verò sive quodcunque connotativum, quod connotat aliquam for-
 mam adjacentem alteri, loco prædicati, v. g. homo est doctus;
 homo est pater* 2. *quotiens ex singulari & universalis debet fieri præ-
 dicatio totiens singulare sive individuum debet stare loco subjecti,
 universale verò loco prædicati. Quotiens verò ex duobus univer-
 salibus, vel ex individuo & quodam communioni quocunque debet
 fieri prædicatio, minus universale & individuum debet esse subje-
 ctum, magis universale verò & commune debet esse prædicatum.*
 Secus si fit, prædicatio contra naturam facta esse censetur. Dantur
 tamen quædam prædicationes ex talibus extremis constanda, quo-
 rum utrumque æquè aptum est prædicari, v. g. si dicam, album
 est dulce; in quibus perinde esse videtur, quodnam illorum loco
 subjecti vel prædicati ponatur, quia neutrum horum ad alterum
 se habet tanquam forma ad materiam.

§. 12. Ceterum interdum extrema hæc sine ullis addita-
 mentis, quæ Syncategoremata vocantur, in propositione posita
 conspiciuntur; interdum verò certa quædam habent adjecta qui-
 bus

bus modificentur, quæ non tam significant aliquid, quam aliquã-
 liter. Ipsa verò Categoremata in casu recto, vel æquipollente
 efferuntur; & quidem sunt in duplici differentia. Alia nomi-
 bus abstractivis, hoc est, solas formas in abstracto significantibus
 efferuntur, alia verò nominibus concretivis. Utraque rursus sunt
 in duplici differentia. Alia sunt abstracta accidentalialia, quorum
 forma significata est accidens aliquod prædicamentale, v. g. si di-
 cam albedo est color. Alia verò sunt abstracta substantialialia, quo-
 rum forma significata est quædam substantia, v. g. si dicam hu-
 manitas est animalitas. De quibus abstractis si de se invicem præ-
 dicari debeant, notetur illa regula: *Quacunque forma abstra-
 cta realiter & à parte rei identificantur, illa etiam de se affirmari
 possunt, sive accidentales sive substantialiales fuerint.* Ratio, quia
 à parte rei sunt eadem, & hoc est hoc, quorum autem hoc est hoc,
 de illis dici potest quod hoc sit hoc, hoc est, illorum unum de
 altero affirmari potest. De accidentalibus abstractis controversia
 nulla, quod sciam, movetur. De substantialibus verò nonnulli
 litem sparunt, negantque illos gradus superiores in abstracto pos-
 se prædicari de inferioribus, eò quod illi gradus formalitèr distin-
 guantur ex natura rei ante intellectus operationem. Alii verò id-
 eò, quia pars de suo toto prædicari nequit: Jam verò superio-
 res gradus in ordine ad inferiores habent se ut partes ad tota E. Ce-
 terum, alii rectius affirmant, & ad primum fundamentum. Resp.
 illos gradus non distingui formalitèr ex natura rei & ante mentis
 operationem, sed potius identificari, sed tantum ratione, cum de
 eodem diversa ratione etiam contradictoria adfirmari queant. Ad
 secundum verò dicitur, licet pars physica de toto suo non possit
 adfirmari, quia ab eo realitèr, inadæquatè saltem, distinguitur,
 posse tamen partem metaphysicam de suo toto adfirmari ob inter-
 cedentem inter totum illud & partem identitatem realem.

S. 13. Concreta similiter alia sunt accidentalialia, alia substan-
 tialialia. Illa sunt, quæ concresecunt ex materia & forma quadam
 accidentaliali, v. g. albus, niger. Hæc verò sunt, quæ ex suppositi-
 talitate & natura sive forma substantialiali coalescunt, v. g. homo,
 corpus. Omnia in eo conveniunt, ut duo significant, illa subie-
 ctum & formam: Hæc supposititalitatem & naturam substantia-
 lem. Et quidem concreta accidentalialia subjectum significant in

casu recto, formam verò accidentalem in casu obliquo connotant. Sic album est subjectum albedine; nigrum verò est subjectum nigrore præditum. Sed contra, objicitur, in hoc: *album immediate disgregat visum*; in recto significatur forma; sensus enim est albedo est disgregativa visus. Resp. neg. significatur subjectum, & sensus est, subjectum per albedinem disgregat visum. 2. In hoc: *Album distinguitur formaliter à dulci*, sola albedo in recto significatur. Resp. illa propositio non est absoluta, sed cum addito restringente, assertio autem illa intelligitur de propositionibus absolutis, & sine talibus additis. In hoc, *Album est compositum ex substantia & accidente*, significatur in recto, neque sola forma, neque solum subjectum, sed utrumque neutra enim sola est composita ex materia & forma. Idem dicendum de hoc: *Album partim est idem cum dulci, partim ab eo distinctum*. Resp. 1. in priori solum subjectum in recto significatur, hoc sensu: subjectum ratione sui & albedinis, ipsi unitæ, est compositum 2. non est absoluta illa propositio, sed extenditur ibi vox albi ad utrumque significandum. Dicta autem procedunt de propositione absoluta à tali extensione.

§. 14. De concretis substantialibus multi etiam censent ea unum significare in recto, alterum verò in obliquo. Quodnam autem in casu recto significant, suppositalitemne an verò naturam, quodnam in obliquo, de eo inter se disceptant. Sunt qui putant illa in recto sive nominativo significare suppositum & in obliquo connotare naturam. Non posse naturam in recto intelligi, probatur per exemplum hoc: *Deus est homo*, ubi si natura in recto intelligeretur, sensus esset, natura divina est natura humana, quod fieri nequit; restat igitur ut substantia sive hypostasis hoc loco in recto importetur. Sed hanc assertionem non posse universaliter veram esse, siquidem de substantia in abstracto intelligatur, per contraria probatur exempla: Sic dicitur homo constat anima & corpore, sensus non est, substantia humana constat anima & corpore, sed potius natura humana. Similiter cum dicitur: *Deus est mortuus*, non potest esse sensus, hypostasis divina est mortua. Unde alii dicunt, concreta, ex natura & substantia constantia, in recto significare naturam, in obliquo verò substantiam connotare. Sed hæc assertio rursus universalitate debita

bita destituitur, ut per exemplum pro priori sententiâ modo pos-
tum, clarè demonstratur. Quo animadverso; alii neutrum sim-
plicitèr posse adferri contendunt, sed dicunt, concreta substantialia
ex natura & suppositalitate in suppositis purè creatis, in recto di-
cere naturam, in obliquo verò personalitatem sive subsistentiam.
In divinis verò & suppositis non purè creatis, hanc adferriõnem
locum non semper habere. Sic v. g. persona in creatis solùm in re-
cto dicit naturam, in divinis non semper, sed interdùm significat
in nominativo personalitatem. Sic in Deo sunt tres personæ, quod
non potest explicari, quod in Deo sint tres naturæ, sed tres perso-
nalitates in una natura. Censet igitur hæc sententiâ, ex proposi-
tionibus aliis clarioribus æquipollentibus dignoscendum esse quid
per concretum in recto significetur, & quid in obliquo, quando
propositio, in qua concreta occurrunt, est absoluta, & sine ullo
addito restringente aut extendente.

§. 15. Prioris partis ratio desumitur 1. Ex æquipollentibus,
v. g. huic, *homo constat ex anima & corpore*, æquipollet hæc: *natura
constat ex anima & corpore*, *homo discurret*, id est natura ha-
bens personalitatem discurret, homo moritur, vivit, amat. 2. quia
in humanis natura semper est nobilius quid ipsa subsistentiâ, eam
enim sustentat, undè & jure in casu recto effertur. Ratio verò
posterioris petitur ex eo, quia in humanis subsistentia est modus,
non verò res, quæ sit substantia, adeoque non est capax ut in casu
recto significetur, in divinis tamen ipsa personalitas est substantia,
& capax, ut in recto possit significari. Sic dicitur hic. homo est
Deus: Christus est æternus, id est, suppositum hoc, non verò
natura hæc. Sicut enim natura Christi non sustentatur ab alio
subjecto, ita neque ipsa subsistentia Christi, & idèò utraque apta
est, ut per se & in recto significetur. In humanis verò natura
sola per se stat, personalitas verò semper adiacet, idèò quotiescun-
que in concreto effertur, sola natura importatur in recto, subsi-
stentiâ verò in obliquo. Sed contra dantur exempla ubi nullum,
neque subsistentiâ neque natura in recto videtur significari. Sic
cum dico. Deus est mortuus, passus, crucifixus &c. neque subsi-
stentiâ neque natura in recto nomine Dei significatur, cum non li-
ceat dicere subsistentiâ divina est mortua, passa &c. neque etiam,
natura divina est mortua, passa.

§. 15. Dicendum igitur videtur, salvistamen aliorum iudiciiis, neutrum illorum, neque naturam in abstracto, neque subsistentiam in talibus concretis substantialibus in recto significari, alterum verò in obliquo. Unde minus aptè v. g. persona explicatur, quod sit natura subsistentiam cum intellectu habens, vel quod sit subsistentia naturæ intelligentis. Si enim prior explicatio obtineret, tres essent in Deo naturæ, si enim persona in recto est natura, tres etiam personæ tres sibi deposcerent correspondentes naturas subsistentes, quod fidei repugnat. Sin posterior, tunc abstractum prædicaretur de concreto, idemque esset ac si dicere velim album est albedo. Melius igitur videtur dici in casu recto totum aliquod concretum ex natura & subsistentia confuse significari, & in obliquo explicitè poni illam formam à quâ denominetur, quæ in eo quod in recto significabatur, non ita clarè apprehendebatur. Etenim videntur illa concreta, quæ ex natura & subsistentia coalescunt induere quandam similitudinem cum compositis naturalibus ex materia & forma. Sicut enim in physicis materia per formam compleri expetit, ut fiat ens actû, cum antea non nisi compositum in potentia esset, ita etiam natura præcisâ subsistentiâ considerata expetit ultimum substantialitèr compleri per subsistentiam, quæ & inde ultimum complementum substantiale vocari solet, ut unum singulare incommunicabile resultet. Quemadmodum autem corpus naturale, ubi explicandum, non resolvitur in suas partes físicas ex quibus constat, ita ut unam partem in casu recto significet, alteram verò in obliquo conotet; ita etiam hoc concretum ex natura & subsistentia non resolvitur in suas partes, ita ut unum in casu recto significet, alterum in obliquo connotando. Per quod jam recedit hoc concretum substantiale à concretis accidentalibus, in quibus, quia altera pars componens, subjectum scilicet, de se est ens completum vel saltem non petit de se compleri per conjunctum accidens, non mirum est, quod subjectum in recto, forma verò accidentalis conjuncta in obliquo significetur. Heic verò natura de se petit compleri per subsistentiam non secus ac materia per formam, unde eodem modo, suas partes, quo concretum accidentale, significare nequit. Et hæc ratione non incommodè videntur omnia concreta talia substantialia explicari posse v. g. homo est aliquod habens naturam humanam; persona est habens personalitatem.

§. 17. Circa

§. 17. Circa copulam, quæ est vinculum illud, beneficio cuius extrema prædicationis colligata coherent, etiam nonnulla possunt observari. Dicitur autem copula ab altero ejus officio, quod ratione vocum habet, quæ loco extremorum ponuntur, quod scilicet eas in unam orationem, quam prædicationem vocamus, copulet & conjungat. Notetur igitur copulæ duo adscribi posse officia. Unum est, *connectere & copulare extrema*, prædicatum cum subjecto, ut sic ex pluribus terminis una efficiatur prædicatione. Hoc defungitur, quatenus respicit illas voces, quæ loco rerum per ipsas significatarum in propositione ponuntur. Atque hoc ejus officium est perpetuum, cum in prædicatione omni, tum etiam in enunciatione negante. Alterum est, *significare identitatem inter prædicatum & subjectum propositionis*. Hoc defungitur, copula ratione suæ significationis. Ceterum notandum, non omnem copulam, neque in omni propositione hoc munere fungi. Repetendum igitur, aliam esse propositionem simplicem sive categoricam, aliam verò esse compositam. In compositis copula illa, per quam in esse compositarum enunciationum constituuntur, non significat identitatem extremorum. Hæc enim non verbum substantivum est, sed particula quædam v. g. conditionalis, vel disjunctiva, est copula. Simplex verò propositio, in qua verbum *Est*, copula vocatur, alia est adfirmans, negans alia. In adfirmante quidem significat copula identitatem subjecti & prædicati; in negante vero secus se res habet: Utur enim de se vocula *est*, si suæ libertati & naturæ relinqueretur, significaret in ea identitatem extremorum, quia tamen ita ponitur negatio in ea, ut copula principalis adficiatur, per quam negationem sic significatio dictæ identitatis destruitur, dici amplius nequit, actu secundo verbum *est* hoc officium suum exercere. Notantèr dixi, adfici copulam principalem per negationem, si enim copula minus principalis destruitur tantum, non item principalis, adhuc propositio est adfirmans, & principalis copula identitatem extremorum reapse significat. Scilicet dantur quædam prædicationes simplices, quæ talibus constant extremis, quorum vel alterum, vel etiam utrumque, integram continet enunciationem, & tunc vel alterum extremum tantum, vel etiam utrumque habet aliquam copulam; ipsa verò propositio integra habet aliam. Quo casu illa vocatur copula
minus

minus principalis, hæc principalis v. g. Quicumque credit salvatur. Qui natus est ex Deo, est homo, qui verbum Dei audit; item qui non est natus ex Deo, est is, qui verbum Dei non audit.

§. 18. Quantum igitur ad copulam principalem sive integræ prædicationis simplicis attinet, illa est verbum substantivum, quod in omni omnino prædicatione debet reperiri. Sicuti enim sine unione inter animam & corpus homo non est homo, ita nec propositio sine copula & unione extremorum est prædicatione. Et quidem debet in eâ esse ratione utriusque sui officii, hoc est debet connectere extrema & connexorum extremorum identitatem significare. Potest verò in prædicatione esse duplici ratione 1. Implicite 2. explicitè. Implicite in ea est, quando expressè inter partes, sive inter extrema principalia non ponitur, sed in ipso prædicato, vel etiam in aliqua parte prædicati latitat. Et hoc fit, quando vel stat in prædicatione, quam vocant de est secundi adjecti sive secundo adjacentis, alii binariam. Vel etiam interdum in prædicatione de est tertii adjecti, sive trinaria. Propositionem de est secundi adjecti, vocant alii, in qua post voculam *est* nullum aliud prædicatum explicitè ponitur, qualis est hæc: Petrus est; ubi vocula *Est* idem denotat quod existit, ut adeò *est* in talibus non significet nudam compositionem extremorum, sed rem aliquam, notet. In hoc verbo *existit* autem copula latet, est enim idem, quod *est existens*. Juxta hunc explicandi modum, dicitur, copulam interdum implicite etiam esse in propositionibus tertii adjecti. Sunt enim illæ, in quibus aliud quoddam prædicatum, quam vocula *est* apparet, v. g. Petrus currit. Alii tamen vocant illam tantum propositionem de est tertii adjecti, in qua post voculam *est* ponitur aliquid in casu recto, v. g. homo est animal. Et contra propositionem de est secundi adjecti, in qua nihil post voculam *est* in casu recto reperitur, sive aliquid aliud ponatur sive minus. Et sic hæc propositio, homo est in templo, erit secundi adjecti. Sic implicite copula est in omni propositione, cujus prædicatum est verbum, v. g. Petrus currit, loquitur, scribit &c. quo casu resolvendum est verbum in participium, & verbum *Est* tanquam copulam, v. g. Petrus est currens, loquens. Explicitè verò copula in ea est, cum distincte & expresse inter subjectum & prædicatum, integræ propositionis collocata invenitur. Nunquam verò sive impli-

implicitè five explicitè ponatur, incipit esse, pars vel subjecti vel prædicati, sed semper est pars prædicationis, terminis contradistincta. Ratio; quia in conversione nunquam fit pars subjecti vel prædicati, quod utique fieret, si horum pars esset, requiritur enim ad conversionem ut totum prædicatum convertendæ in convertente fiat subjectum, & contra totum subjectum fiat prædicatum. Si jam copula prædicati pars esset, & totum prædicatum fieri deberet subjectum, utique & copula pars subjecti in convertente fieret.

§. 19. Significat verò copula de se non aliquam rem, scilicet idem quod Ens five existens, sed qualitatem essentialem, ut vocant, prædicationis, scilicet ejus affirmationem, nudam compositionem subjecti cum prædicato, admitteretur enim aliàs insignis nugatio, hæc enim, Petrus est ens, idem esset, ac Petrus est Ens. Brevitèr, significat rem per uotionem subjecti significatam, plane esse eandem cum re per notionem prædicati significatam. Et hinc etiam, quia nullam rem significat, sed tantum identitatem rerum per extrema denotatarum, non potest in copulâ tropus esse. Etenim tropus & improprietas est in illis vocibus propositionis, quæ ipsas res significant, non verò in illa, quæ non significat ipsam rem, sed cujus est unire & significare identitatem rerum. Prob. quia in omni tropo una vox ponitur pro altera, v. g. Vulpes pro callido, & res ponitur pro re, natura vulpis pro natura callidi. Erit igitur in prædicato vel subjecto, pro qua opinione argumentamur hoc modo: Quæ vox nunquam recedit à nativa significatione in prædicatione, in illa non est tropus. Sed copula est vox quæ nunquam recedit à nativa significatione. E. copula est vox in qua non est tropus. Major est clara, quia si nunquam recedit à nativa significatione non potest tropicè significare, recedere enim à nativa significatione & tropicè supponi sunt synonyma. Minor probatur h. m. Quæ vox in reductione prædicationis impropriæ ad propriam non liberatur à tropo, illa non recedit à nativa significatione. Sed copula est vox, quæ in reductione prædicationis impropriæ ad propriam non liberatur à tropo. E. copula est vox quæ non recedit à nativâ significatione; Quibus suppositis consequens erit, neque tropum esse in tota prædicatione, quia non est in omnibus ejus partibus, neque enim est in copula ut probatum; sed tropus vel est in subjecto, v. g. Vulpes loquitur cum Petro, vel in prædicato v. g.

C

Hero-

Herodes est Vulpes, vel in utroque, v. g. Vulpes est Leo, id est, Callidus est formidabilis. Hæc copulæ significatio impeditur in enunciatione negativa, in affirmativa verò se semper exerit, sive termini inter se habeant identitatem, sive minus, priori enim modo est prædicatio vera, posteriori verò est falsa, quia illud significatur, quod à parte rei se aliter habet. Non verò putandum est, copulam tantùm significare identitatem extremorum in illis propositionibus, in quibus nulla negatio reperitur, v. g. Petrus est homo, est animal, cum etiam significare possit eandem in illis, in quibus aliquotiens negatio reperitur. Sic v. g. significat identitatem in hoc; Chimæra est non Ens; item in hoc: Non ens est imaginabile; neque enim hæ sunt enunciationes negantes, sed affirmantes de extremis infinitis. Similiter in hæc: omne animal quod non est brutum est homo, & in minore hujus syllogismi: Quicquid non est animal non est homo, Lapis non est animal. E. Lapis non est homo. In priori enim negatio non afficit copulam principalem, sed minus principalem, adeoque relinquit affirmantem. In posteriori verò, quia ibi copula vera est suppressa, & integra minor hæc esse debet, lapis est id, quod non est animal, ut scilicet integrum medium in minore repetatur. Quomodo propositio minor est affirmans de prædicato negato. Item significat identitatem in his: Nullus homo non est animal, idem enim est, quod omnis homo est animal: item non quidam homo non est animal, cum idem significet quod omnis homo est animal. Item non omnis homo non est doctus, & nonnullus homo est doctus; utraque enim affirmat, cum utraque æquipolleet huic: quidam homo est doctus. Ratio hujus rei generalis est, quia negatio non adficit in talibus copulam principalem, unde quia eam non tangit, neque poterit destruere ejus significationem, quæ est extremorum identitatis.

§. 20. Stante sic in omni prædicatione simplici per copulam principalem significari identitatem extremorum, subjecti scilicet & prædicati, prædicatio autem vera absolute loquendo sit prædicatio (falsa enim prædicatio, est quidem vera prædicatio, sed non est prædicatio propriè & absolute dicta) requiritur etiam ut extrema ejus inter se identitatem habeant. Fundamentum igitur & causa prædicationis est subjecti & prædicati identitas. Si enim.

enim quærat, quare hoc de illo verè affirmatur sive prædicatur, rectè responderetur, quia hoc cum illo idem est. Videndum igitur qualis illa identitas esse debeat, neque enim omnis identitas satis est idonea. Ante omnia autem repetendum: Identitatem in genere esse aliquorum non diversitatem, voce diversitatis paulo latius extensâ, prout non tantum de entibus, sed & de non identitate inter non entia potest verificari. Porro; duplicem esse identitatem, aliam realem, aliam rationis. Identitas rationis realem non excludit, sed includit; quæ enim ratione identificantur ea etiam realitè, non contra. Consistit identitas rationis in tali non diversitate, in tanta convenientia entitatum, ut ne quidem ratio sive intellectus possit inter ea quandam diversitatem concipere. Sic v. g. ensis & gladius, quantum ad significatum suum habent identitatem rationis. Identitas realis est aliquarum entitatum nemine cogitante convenientia & non diversitas; sive jam illa cum identitate rationis sit conjuncta, sive minus: Si non est conjuncta identitas realis, exclusivè sumitur, & sic identitatem rationis excludit, estque aliquarum entitatum realis quidem convenientia conjuncta tamen cum quadam rationis distinctione. Sic v. g. formalitates generis & differentie ejus contractivæ v. g. animal & rationale, habent identitatem realem cum distinctione tamen rationis. Si jam quærat, qualis identitas ad prædicationem requiratur, an sufficiat realis, an verò etiam rationis sit necessaria. Respondendum est; in genere loquendo, neutrum posse determinari, sed dicendum requiri identitatem aliquam à reali & rationis præcisam, cum neque in omni prædicatione realis sufficiat, neque ad omnem rationis identitas requiratur. In specie tamen dicendum ad quasdam prædicationes requiri etiam identitatem rationis, v. g. in illis, ubi idem de se ipso prædicatur in eodem significato, quales propositiones idè solent vocari prædicationes identicæ, quorsum etiam referri possunt prædicationes in quibus synonymum grammaticum de suo synonymo affirmatur, v. g. ensis est gladius. In illis enim nequidem vocum diversitas; in his vocum quidem est diversitas, sed non est diversitas rationis, rei significatæ per voces primò intentionalitèr. Sed tales prædicationes vocantur nugatorie, quia per negationem idem bis dicitur. Ad prædicationem igitur potissimam non requiritur, imò non debet requiri identitas rationis, sed suffi-

tere potest identitas extremorum realis cum distinctione eorundem rationis. Potior quippe est ratio illarum prædicationum, quæ non sunt nugatoriæ; quæ, ut vitium nugationis effugiant, simul debent habere extrema eadem & distincta, eadem realiter, distincta verò secundum nostrum concipiendi modum, ut sic aliquid de altero possit prædicari, non verò idem tantum de se ipso.

§. 27. Deinde identitas alia est generica, alia specifica, alia denique numerica. Generica identitas est aliquorum convenientia in eodem genere, & prout illa conveniunt vel in eodem genere proximo, ut homo & brutum, vel in eodem genere remoto, ut homo & spiritus, ita identitas generica, alia est generica proxima, alia remota. Identitas specifica est aliquorum in eadem specie convenientia, & maximè dicitur de illis, quæ in eadem specie specialissima conveniunt. Hanc habent duo individua ejusdem speciei specialissima. Excludunt hæc duæ identitates numericam identitatem, semper enim, quæ genere vel specie sunt eadem, numero adhuc nondum habent identitatem, sed diversitatem. Identitas autem numerica est convenientia aliquorum tam arcta, ut neque numerum quendam possint facere illa quæ identitatem hanc habere dicuntur. Sic v. g. numero eadem sunt individuum & ejus species, Petrus & homo. Quibus præmissis dicendum 1. Ad veram prædicationem ineptam esse, nec sufficere solam identitatem genericam extremorum, subjecti & prædicati. Ratio à posteriori, quia non potest dici brutum est homo, aut homo est spiritus, licet in talibus prædicationibus extrema identitate generica gaudeant. Dicendum 2. Nec sufficere ad hoc, ut prædicatio vera sit, identitatem specificam. Ratio hujus à posteriori est, quia non dicere licet, Petrus est Paulus, licet habeant extrema illa identitatem specificam, nec potest dari ullum exemplum in quo verè unum individuum de altero prædicari possit, si tantum habeant identitatem specificam. Ratio à priori utriusque videtur esse, quia illæ identitates pluralitatem realem non tollunt, sed potius secum ferunt, pluralitas autem realis inter extrema prædicationis intercedere non potest sed extrema saltem confuse debent esse eadem numero res. Dicendum 3. Requiritur ad omnem prædicationem veram, ut subjectum & prædicatum inter se numero etiam identificata sint. Ratio hujus à posteriori est, quia nulla potest dari prædicatio vera, quin
extre-

extrema numericam identitatem inter se habeant. Ratio verò à priori est, quia prædicare est affirmare, affirmare autem est dicere hoc est hoc, non verò dici potest verè, hoc est hoc, si hoc & hoc non sint unum numero, sed plura, quæ autem non habent identitatem numericam, sunt plura. E. non possunt affirmari de se.

§. 22. Hæc porro identitas realis numerica, quæ in omni prædicatione inter subjectum & prædicatum intercedere debet, rursus est in duplici differentia. Alia potest vocari identitas numerica totalis, alia verò partialis. Totalis identitas est convenientia subjecti & prædicati quoad se tota, ita, ut omnia, quæ formaliter per ipsa significantur inter se numericè identifcentur. Partialis est convenientia subjecti & prædicati non quoad totum suum significatum formale, sed saltem quoad aliquam partem. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, extrema prædicationis interdum esse abstracta, interdum verò concreta, ut superius diximus. Abstracta quotiescunque de se prædicantur, habent inter se totalem identitatem numericam. Ratio, quia abstracta habent simplicem tantum significandi modum, hoc est, unicam rem significant, non verò plura, si igitur identificari inter se debent, identificatio fit inter unam rem per subjectum & unam rem per prædicatum significatam, & sic est totalis, præter hanc enim nihil ulterius significant. Sic dici solet misericordia divina est justitia divina, intellectus Dei est voluntas Dei, rationalitas est animalitas. Quæ prædicationes licet in sensu formali non procedant, tamen in sensu identico sunt verissimæ, quia id quod à parte rei est subjectum, idem etiam à parte rei est prædicatum, quamvis v. g. misericordia Dei prout præter objectum etiam nostrum concipiendi modum includit, & nihil aliud est quam actus se tendens ad objectum miserabile, misericordia cum illo respectu ad illud objectum non sit, justitia Dei. Concreta verò paulo aliter sunt comparata, neque unum sed duo significant, quamvis alterum materialiter & in recto, alterum formaliter & in obliquo. Unde non semper habent totalem inter se identitatem extrema, quando in prædicatione, concreta extremorum locum sortiuntur. Ex quo sequitur, non requiri ad veritatem prædicationis in genere totalem extremorum identitatem, sed sufficere interdum ipsam identitatem numericam partialem.

§. 23. Dico autem interdum sufficere partialem. Sæpè enim fit, ut etiam concretum cum stat loco prædicati, totalitèr cum subiecto identificetur, v. g. cum dico homo est animal, ibi enim prædicatum est concretum, & tamen totalitèr identificatur cum subiecto. Sciendum igitur prædicationem solere distingui in essentialem & accidentalem. Si prædicatio essentialis fuerit, tunc semper totum prædicatum totalitèr identificatur cum subiecto, siue jam totum subiectum adæquet & exhauriat, siue tantum aliqua ejus pars sit. In prædicatione accidentali alitèr se res habet, si enim prædicatum subiecto extra essentialè fuerit, tunc aut forma prædicati realitèr à subiecto est distincta, aut non, si non est distincta, tunc rursus totalis est extremorum identitas realis, v. g. quantum est divisibile, sin vero est distincta, tunc non est totalis extremorum identitas, sed tantum partialis, v. g. homo est doctus, justus.

§. 24. Quia autem omne concretum unum significat in recto siue nominativo; alterum in obliquo, in casu illo, quo non intercedit inter extrema totalis identitas, debet tamen identitas realis esse inter id, quod in casu recto per extrema significatur, licet inter illa quæ in obliquis connotantur nulla identitas, sed mera diversitas realis intercedat. Sic se res habet in prædicationibus, quas vocant personales, v. g. in hac Deus est homo, homo est Deus, ibi homo & Deus realitèr & quidem numericè identificantur, non quidem totalitèr, sed partialitèr, quantum ad id scilicet quod in recto significant, v. g. Deus, id est suppositum idem numero, quod habet divinam naturam, est idem numero suppositum, quod habet humanam naturam, & contra. Ubi natura in obliquo significata inter se non identificantur, sed manent disparatae.


§. 25. Dices, sic nullam fore prædicationem accidentalem, si ad omnem prædicationem veram requiratur identitas numerica extremorum, si enim prædicatum semper est idem numero cum subiecto, non poterit subiecto esse extra essentialè sed accidentale. Sed consequens illud absurdum E. & antecedens. Resp. cum prædicatio aliqua vocatur essentialis vel accidentalis, non tam haberi respectum ad significata extremorum materialia, quam ad formalia; & prædicationem essentialè dici, non illam, in qua
mate-

materiale prædicati identificatur cum subiecto, & vel totus primus subiecti conceptus est vel etiam pars primi conceptus, sed illam demum, in qua totum prædicatum, ipsum etiam formale eius cum subiecto identificatur; similiter accidentalem appellari illam, in qua prædicati *forma* non identificatur cum significato formali subiecti. Negatur igitur in majori consequentia. Ad prob. dicitur, nihil aliud evinci, quam materiale prædicati non esse accidentale & extra essentialè subiecto, quod damus, ast probandum erat, sic neque formale prædicati esse extra primum subiecti conceptum, quod tamen hætenus haud est probatum; quod quia sæpe numero est extra primum subiecti conceptum, negari non poterit, dari ut plurimum prædicationes accidentales.

§. 26. Licet verò numerica identitas realis inter casus-re-
 ctos extremorum intercedere debeat in prædicatione vera, ex eo
 tamen nondum debet inferri, subiectum illo in casu distinctè in
 ipso prædicato necessariò includi. Scilicet potest subiectum du-
 pliciter in prædicato includi: *distinctè*, quod fit, cum subiectum
 in prædicato repetitur, v. g. Nasus est simus, id est, nasus simus
 2. *confusè*, quod fit quando non ita clarè idem subiectum in prædica-
 to repetitur, v. g. paries est albus, ubi prædicatum non est idem quod
 paries albus, sed aliquod habens albedinem. Quamvis igitur con-
 fusè includatur, distinctè tamen includi semper nequit. Ratio,
 quia si distinctè includeretur subiectum in prædicato, possent in
 syllogismo bono & formalitèr concludente plures esse tribus ter-
 mini. Sed hoc consequens admitti nequit. E. neque antecedens
 admittendum erit. Consequentia probatur per sequens exem-
 plum. Sit v. g. talis Syllogismus in Cesare. Nullus spiritus est
 quantus. Omnis Leo est quantus. E. nullus Leo est Spiritus. Inclu-
 datur jam subiectum in prædicato, & major erit talis. Nullus Spi-
 ritus est Spiritus quantus; Minor verò si & ibi includatur, hunc
 dabit sensum: Omnis Leo est Leo quantus. E. erunt in præmis-
 sis hæc quatuor termini, scilicet 1. Spiritus 2. Spiritus quantus 3.
 Leo 4. Leo quantus. Prædicatum igitur dictarum præmissarum
 non includit subiectum distinctè, sed ita debet explicari, est ali-
 quod habens quantitatem, quod ipsum confusè identificari potest
 numericè cum quocunque habente quantitatem. Forte igitur
 dici potest, prædicata illa denominativa esse in duplici differentia,
 quæ-

quædam illorum pluribus quam soli subjecto competere possunt,
& in illis subjectum distinctè non includitur, quædam vero non
nisi suo subjecto competunt, & in illis potest etiam distinctè inclu-
di subjectum v. g. Nasus est simus, id est, nasus simus, quia enim
aliis speciebus hoc prædicatum non competit, sed soli naso, hinc
nasum distinctè potest includere, quamvis & hoc fortè fieri videtur
per accidens & materialiter; formaliter non item, quantum
enim ex se simum dicitur quodcumque habeas
limitatem.

Soli Deo gloria.



PRÆDICET ingenii, tua disser-
tatio, vires:

CONCLUDANT Logici fata se-
cunda logi!

VARNUS & Aonides resonent FE-
LICITER! & sic

Philosophi, Sophiâ judice, no-
men habe!

*Quibus egregiis doctissimi Dni. Responden-
tis ad summa quæq; adspirantis cona-
tibus ex animo gratulari voluit*

PRÆSES.

PERGAT

PERGAT SIC, PERGAT, ET FERET PRÆMIA
JOHANNES GOTTFRIDUS
KOPSTADIUS,
VIRTUTIS SUÆ DIGNISSIMA.

Somus man nach der Götter Berg mit seinen Sin-
nen reifen

Und hohlen Kunst/ Geschicklichkeit und Wiß von
dann her /

So kan man Ruhm erlangen und der ganzen Welt erwei-
sen / (nehr/

Wie daß die Weißheit / so ihr treu/hinwieder treulich
So wird des Menschen Lebens Zeit auch nach dem Tod
verlänget / (sprengt/

So wird der Acherontsche N: id auff Stücken gar zers
Wenn man sich machet weit und breit der klugen Schaar
bekandt /

So kan der kunstergebne Sinn nach wunsche sich ergehen:
Un nach dem einer solche Fleiß ein zeitlang angewandt /
Somus Apollo selber ihm den Voorberkrantz auffsetzen.

VIVAT, VALEAT, FLOREAT,
JOHANNES GOTTFRIDUS KOPSTADIUS,
UNICA PARENTUM, PILADUMVE SUORUM
SPES GENEROSA.

Solches hat dem Herrn *Respondenti*, also selbiger zum an-
dernmahl ein öffentliches und rühmliches *Specimen* seines
studierens abgeleget / zu Ehren in Eil entwerffen wollen

Hinricus Güster / Hadersl. Hoff. LL. Stud.

PERGAT SIC, PERGAT, ET
JOHANNES GOT
KOPSTADI

VIRTUTIS SUÆ DIC

Somus man nach der Götter
nen

Und hohlen Kunst/ Geschic
da

So kan man Ruhm erlangen und de
sen

Wie daß die Weisheit / so ihr tr
So wird des Menschen Lebens Ze
verlänge

So wird der Acherontsche Nid an
Wenn man sich machet weit und br
bekant

So kan der kunstergebne Sinn nach
Un nach dem einer solche Fleiß ein

So mus Apollo selber ihm den Voort
VIVAT, VALEAT, F

JOHANNES GOTTERIDUS
UNICA PARENTUM, PILADU
SPES GENEROSA

Solches hat dem Herrn Respon
dernmahl ein offentliches und
studierens abgeleget / zu Ehre
Hinricus Hüster / Hade

PRÆMIA
DUS

inen Sin

Witz von

Belt erwei

(nehr/

er treulich

dem Tod

(sprengt/

gar zer

en Schaar

hergehens

gewandt /

auffsetzen.

ADUS,

RUM

biger zum an

ecimen seines

ffen wollen

L. Stud.

So

